

Propugnaculum

ECCLESIASTICAE  
LIBERTATIS, ET  
PONTIFICIAE POTESTATIS,

*Aduersus leges Venetijs latis, et contra earum defensores.*

Ad Sanctissimum Dominum Nostrum

PAVLVM V.  
PONT. MAX.

Authore

D. IOANNE BELTRANO GVEVARA

I. C. HISPANO.

Regio Consiliario, Archiepiscopo Salernitano designato, Regniq.  
Neapolitani Visitatore generali a Potentissimo, & Catholico  
Rege D. N. PHILIPPO III. deputato,



*V. Altus seu Discursus  
in hac mat. del P. G. Sora  
fol. 297*

ROMAE, Apud Lepidum Facium. M. D. C. VII.

SVPERIORVM PERMISSV.



*Num. 29. Cap. 1. num. 12.*

<sup>MO</sup>  
S. D. N. PAVLO V.  
PONT. MAX.

D. IOAN. BELTRANVS GVEVARA

*Designatus Archiepiscopus Salernitanus, &*

*Visitator generalis Regni Neapolitani*

*salutem, & perpetuam feli-*

*citatem.*



MITTO Sanctitati Tuæ hos stu-  
diorum meorum fructus, qui in  
publicum nunc prodeunt. Opus  
a me præ angustia temporis, &  
itineris molestia, minus elabo-  
ratum, & ab Illustriss. Cardinali

Doria mihi impositum. Renui, & declinaui impa-  
ribus humeris molem suscipere: quippe magnam,  
& grauem, tum etiam, quod cum metu quodam  
Sanctitati Tuæ hoc munusculum dicabam. Vicit  
tamen obedientiæ sacrificium. Itaque quantum pos-  
sum, non quantum debeo Sanctitati Tuæ offero:  
meliora forsan in posterum daturus. Interim San-  
ctitas Tua lucubratiunculas has, meque seruum  
suum bono, & benigno animo suscipiat, & ab  
impijs obtrektoribus defendat. Mediolani xij.  
Kalen. Nouemb. 1606.



7  
PRIMÆ ASSERTIONIS  
Initium.

S V M M A R I V M.

- 1 Ponitur lex prima Veneta.
- 2 Ponitur lex secunda Veneta.
- 3 Lex tertia de eadem re.
- 4 Veneti clerici incarcerantur.
- 5 Veneti fuerunt moniti a S.D.N. Paulo V.
- 6 Monitorium S.D.N.
- 7 Primum caput monitorij.
- 8 Secundum caput monitorij.
- 9 Tertium caput dicti monitorij.
- 10 Quartum caput eiusdem monitorij.
- 11 Quintum caput monitorij.
- 12 Sextum caput monitorij.
- 13 Septimum caput monitorij.
- 14 Octauum caput monitorij.
- 15 Nonum caput monitorij.
- 16 Caput decimum monitorij.
- 17 Caput undecimum monitorij.
- 18 Caput duodecimum monitorij.
- 19 Veneti nolunt obedire monitorio: & edictum de hac re factum a  
Duce Leonardo.
- 20 Veneti mittunt Oratorem ad Pontificem.
- 21 Quod Prelati officia diuina continent.
- 22 Protestatio Venetorum in edicto suo facta.
- 23 Data edicti Ducalis.
- 24 Veneti cogunt ecclesiasticos, ut spreto interdicto publice cele-  
brent sub pœnis.
- 25 Aliqui Prelati edicto Ducali paruere, qui grauissime pecca-  
runt, & refertur vti scripsit Illustriss. Card. Columna.
- 26 Illustriss. Card. Baronius Venetos reprehendit.
- 27 Veneti permittunt libellos publicari contra monitorium summi  
Pontificis, incerto authore, & quid illi libelli contineant.
- 28 Motiua quibus Author Propugnaculi motus est ad scribendum  
hunc tractatum.
- 29 Dei causa agitur in hoc Propugnaculo.
- 30 Diuisio huius tractatus in duas Assertiones diuisa.

Legum

## Prime Assertionis

*Legum Venetarum copia, de quibus in hoc Propugnaculo agitur, & quæ deinceps earum causa sequuta sunt.*

### P R I M A L E X .

**P**RIMA lex, seu decretum Veneti Senatus latum die 23. Maij 1602. occasione cuiusdam litis inter Doctorem Franciscum Zabarellam ex vna: & Monachos Monasterij de Prallia Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinen. Patavij ex altera: quo cautum est, ut dd. Monachi nō possent in illa causa, nec deinceps vllō unquam tempore prætere actionem prælationis quocumq. titulo, aut colore, ad bona ecclesiastica emphyteothica a laicis possessa; nec ratione prælationis, aut consolidationis cum directo dominio, seu extinctionis lineæ in prima investitura comprehensæ; neue ex quacumque alia causa possint acquirere proprietatem dictorum bonorum; sed tantum sit illis reservatum dominium directum. Hoc decretum fuit nunc ampliatū, & extensum ad omnes alias personas ecclesiasticas, seculares, & regulares, Monasteria monialium, Hospitalia, & alia loca pia in statu, & Dominio Veneto consistentia.

### S E C U N D A L E X .

**S**ecunda lex lata est 10. die Ianuarij Anno 1603. prohibetq. quod nullus, siue secularis, siue ecclesiasticus in Civitate Veneta possit fabricare, seu erigere Ecclesias, Monasteria, Hospitalia, & alias domos religionis, aut loca pia, sine speciali licentia Ducis, & Senatus congregati in Preghai (est autem Preghai concilium multorum virorum, ad quos spectat totius Reipublicæ gubernatio.) Nunc vero fuit ampliatum hoc decretum ad omnia loca iurisdictionis Venetæ, imposta poena contra transgressores exilij, carcerationis perpetuæ, & confiscationis fundi, & ædificiorum.

T E R -



Et cum forma publicationis (vt dictum est) non sit de iure constituta, sed potius consuetudine quadam, immo si esset de iure positio, plurimum posset Pontificis voluntas circa modum, et locum publicationis; quapropter nec Prælati, Vicarij Plebani, et alij Religiosi Status Recip. Venetæ, nec excommunicati, nec cæteri laici legitime excusari possunt; cum censuræ, & interdicta sint omnibus nota, & ad eorum notitiam peruenerint, quæ est ratio publicationis. Tum etiam si foret  
 84 necessarium, quod publicatio fieret in dicta Ciuitate, ex quo ibi non erat tutus accessus volenti eas publicare, vt notū est, perinde est ac si ibidem fuissent publicatæ, vt in Clem. causam. 3. §. verum. de elect. vt a nobis superius notatum est circa articulum monitionis personalis. & habetur in Clem. Pastoralis. 2. §. notorium quippe. de electione. cuius verba omnia vsque ad versiculum, vt illud, optime conferunt ad hanc rem. Et quia, vt dicit dicta Clemētina, quis auderet accedere ad illam potentissimam urbem, ad denunciandos Ducem, et consiliarios? Et cum locus tutus non esset, sufficit publicationem fieri per edictum, vt in Clem. 1. de iudicijs, et in Clem. 1. de foro competen. et tradit Maranta in praxi. 6. par. de citatione. nu. 85, tum videlicet quia non est necessarium constitutionis Pontificiæ vbiq̄ue fieri publicationem: sat enim est, vt in curia fiat, vt per Canonistas in data lib. 6. et in c. nouerit. de senten. excom. Soto de iust. et iure. lib. 1. q. 1. art. 4.

Et quia iam tempus nostri itineris instat; æquum est, vt receptui canamus; Video enim (nescio quem) mihi aurem vellitantem, et dicentem illud Virgilij. *Claudite iam riuos pueri, sat prata biberunt*, et quia, opere in longo fas est obrepere somnum.

Ideo obsecro, vt tua Sanctitas hæc, quæ a me dicta sunt in defensionem ecclesiasticæ libertatis, et iurisdictionis, corrigat, et emendet; ea enim censuræ tuæ Sanctitatis, et ecclesiæ Catholicæ Romanæ subijcio. Mediolani. xij. Kal. Nouembri Anno Domini. 1606.

F I N I S.

ROMÆ, Apud Lepidum Fatium. 1607.